



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales**

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

15. De modis quibus beneficia vacant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



## CAP. XVI.

## De modis, quibus beneficia vacant.

**H**Atenus explicuimus, quor. & quibus modis beneficia acquirantur: quo modo conferuntur, & quid iuris in ipsis Clericis habeat; consequens est, ut exponamus modos, quibus illa amittuntur, & vacant.

Primo quaeritur, *Quid* vacationis nomine in beneficijs intelligatur? Respondeo, vacare beneficium dici, cum omni possessore est desitutum. Eodem fere sensu Iurisconsultus Martianus in l. *Qui casu*, §. *ut ff. Ad legem Iuliam, de vi publica*, vacantem mulierem dixit, pro vidua. Sic etiam vacans locus dicitur, qui caret corpore, cum eo repleri solet. Obitu igitur Beneficiarij vacat beneficium, quia ipsum non extinguitur, aut perit, sed possessore caret. Penitio vero morte Penitentiarj non vacat, quia finitur, ac desinit: ac proinde dicitur extingui, vti usufructus morte fructuarij.

Secundo quaeritur, *Quot* modis beneficium vacare dicitur? Respondeo, in iure beneficium tunc dici vacare aut factio solum, aut iure solum, aut factio simul, & iure. Factio solum vacat beneficium, quando quis beneficij possessionem amittit, non titulum: At quatuor modis hoc contingit. Primo, quando vi est beneficij possessione Clericus deiecit. c. *Accepto*, §. c. *Olim de restitu. spol.* Secundo, cum legitime electus fuerit coactus beneficium dimittere per merum incussum à populo. c. *Ad aures de his qua vi, metus causa finit*, vel per merum Principis, c. *Ad audientiam, eod. tit.* Tertio, cum Clericus beneficium pro derelicto habet, c. 2. §. 3. *de Cleric. non resid.* Quarto, cum quis in beneficio sibi collato nondum consentit. c. *si tibi absenti, de prob. in 6.*

Tunc vero solum iure vacat beneficium, quando auctoritate Canonis, & iuris, aliquis ita beneficio priuatus est, eo quod quispiam fecerit, vt sine monitione, sine citatione, & sine vlla alia sententia priuationis possit illud ordinarius conferre: quamquam is, qui ipso iure priuatur, possideat factio beneficium. Ex c. *Licet Episcopus secund. de proben. in 6. c. Cum nostris. de concess. proben.* Factio & iure beneficium vacat, cum quis illud deponit, & nondum est alteri collatum, vel cum obitu Beneficiarij vacat.

Tertio quaeritur, *Quot* modis beneficium vacet ipso iure? Respondeo, tribus modis. Vel enim vacat ex delicto Beneficiarij, vel ex quasi delicto, vel sine vilo delicto, vel denique morte naturali, vel ciuili. vnde Glossa in s. *si propter ius de rescrip. in 6.* enumerat breuiter octo modos, quibus beneficium ipso iure vacat, videlicet, Per mortem naturalem Clerici: Per ingressum eius in Religionem: Per promotionem ad aliud secundum beneficium, quod simul cum priori haberi iure non possit: Cum quis itidem non est promotus intra annum ad Sacerdotium, quod requirit beneficium: Per translationem ad alteram Ecclesiam: Per resignationem: & per depositionem sic vulgo appellatam.

Quarto quaeritur, *Quot* modis beneficium vacet sine delicto beneficiarij? Respondeo, in primis vacare beneficium per obitum beneficiarij: quia mors corporis omnia huius vitae vincula dissoluit. Deinde vacat beneficium per ingressum Clerici in Religionem: ingressum autem in Religionem Canones appellant professionem religiosae vitae expresse, vel tacite factam in aliquo Religiosorum Ordine approbato. c. *beneficium, de Regularib. in sexto. c. ex transmissa, de renunc. c. Gonsaldu. 17. q. 2.* nam eo ipso, quod Beneficiarius Religionem professus est, pro derelicto beneficium habere creditur. Tertio vacat beneficium per matrimonium contractum à Clerico c. 1. §. 3. *de Cler. coniug. in 6.* Et ita vacat beneficium, vt Ordinarius possit illud conferre, sine vlla monitione, citatione, aut sententia priuationis. Glossa in cap. 1. *De Cleric. coniug.* nam eo ipso quod beneficiarius nuptias contrahit, videtur Eccl-

siam pro derelicta habere. Glossa in c. *Ult. De Cleric. non resid.* intelligitur autem matrimonium per verba praesentis temporis contractum, etiam si non fuerit corpus in commixtione perfectum, vt est communis opinio. Abb. in c. 1. *de Cleric. coniug. Rota dec. 26. qua incipit: Si impetratur in neuis.*

Quinto quaeritur, *An* beneficium iure vacet per matrimonium, quod ex aliquo impedimento ipso iure non subsistit? Respondent, Ioan. Andr. in c. *Ioan. de Cleric. coniug.* Anton Henricus, & Panormit. in c. 1. *de Cleric. coniug.* in eo omnes conuenire, vt dicant, beneficium non vacare, quando ij, qui matrimonium contrahunt, aetatem legitimam non habeant, nec sunt proximi pubertati: Ille vero dicitur proximus pubertati, qui distat solū à pubertate sex mensibus, hoc est, qui vndecim annos, cum sex mensibus compleuit. Glossa in c. *Continebatur, ver. Prox. de Impub. de spons.* Cum impubes contrahunt, tale matrimonium solum vim habet sponsalium. cap. 1. *de Sponsat. impuber. §. Idem quoque, in sexto:* non item vacat, si ideo irritum est matrimonium, quia beneficiarij contractus consensu in eo deficit propter furorem. Ioan. Andr. in dicit. c. *Ioan.* quia nec tunc professio Religionis subsistit. c. *sicut, de Regul.*

Sed merito dubitatur, *An* vacat, quando nullius est momenti matrimonium, eo quod post sacros Ordines fuerit initum à Clerico. Ioan. Andr. sibi contrarius, teste Abbate in c. 1. *de Cler. coniug. num. 7.* censet non ipso facto vacare, sed Clericum esse beneficio priuandum Idem sentit Glossa, cap. 1. *de Cleric. coniug. in verbo dimittere:* atque id ipsum sequuti sunt Anton. & Imol. in silo c. & Decius consil. 166. & Card. in *Clemen. gratia, de rescrip. q. 17.* & ita iudicatum esse semel in Senatu Parisien. testatur Lopus, part. 2. *Notarior. lib. 3.* sic etiam sentit Petrus Gregorius de *beneficijs. c. 25. nu. 4.* Abbas tamen verius putat ipso facto vacare, & hoc mihi magis probatur: nam tunc Clerici s, quantum in se fuit, fecit, & contraxit, nec est quod melior sit conditio, quam qui licite contraxit, c. *Eum qui, de Prob. in 6.* Sic etiam Aufret. ad q. *Tholos. q. 240. Buxi. q. 10. Saphileus de luteris gratia, & instit. Couart. de matrim. par. 2. c. 6. §. 3. num. 4.*

Dubitatur etiam, *An* beneficium vacet, quando matrimonium est irritum, & inane, quia contractum cum femina consanguinea, vel furiosa, vel aliter Canonice impedita? Duæ sunt opiniones: Vna est negantium ipso iure vacare, sed officio, & auctoritate Iudicis Clericum esse beneficio priuandum, ita Decius consil. 166. Altera est opinio communi consensu affirmantium, tunc beneficium vacare Sic Ioan. Andr. Anton. Barbat. & Panormit. item, Iason. Romanus, Imola, quos citat, & sequitur Rebuffus de *pacifica possessori. n. 223.* Sed nunquidnam Clericus suum beneficium recuperat, si eius sponsa, antequam ab ea cognoscat, ad Religionem se conferat, Religiosorum initium professus? Respondeo, nequaquam, quia ius semel extinctum non reuiuiscit, nisi de integro conferatur. Sic Abbas c. 1. *de Cleric. coniug. n. 6.*

Sexto quaeritur, *An* beneficium vacet per matrimonium, quod est irritum ob defectum consensus in eo ex parte feminae. Ioan. Andr. Zabarella, & alij c. 1. *de Cleric. coniug. §. c. Ioannes, eod. tit.* sentiunt ipso iure vacare, eo quod factis sit Clericum consensus: nam eo ipso peccauit ad nuptias transiens post sacros Ordines, quod si post minores transiit, licet non peccauerit, ac quia quod in se fuit, fecit, nec per ipsum stetit, quominus matrimonium valeat, sed aliunde non valuit, nimirum, quia femina non consensus, tunc vacat etiam beneficium.

Septimo quaeritur, *An* Episcopi consensu Beneficiarius, beneficium simplex quod ante contractum matrimonium habebat, retinere queat etiam post matrimonium cum puella incorrupta, & virgine contractum. Quidam, vt Abbas, Francus, Goffred. Specul. Philip. teste Panormit. in cap. *Ioannes, de Cleric. coniug.* senserunt posse, sumpto argumeto ex c. *Si qui, de 32. c. Quia tua. 12. qu. 1.* & Ioannes de Clericis coniug. Communi tamen omnium consensu



sensu receptum est, id Episcopi auctoritate fieri nequire. *Hofstiensis, Abbas, & Cardinalis in cap. Ioannes, supra citato, & cap. 1. de Cleric. coniug.*

Quaeritur, An auctoritate Episcopi Sacerdos possit ad beneficium redire, postquam doliuit de matrimonio contracto, quod reuera irritum fuit, & inane? Respondeo, in c. sana 2. de Cleric. coniug. Episcopo esse concessum, ut iuris rigorem hac in parte relaxare queat, ea conditione, si Clericus longam poenitentiam egerit, & laudabilem vitam.

Nono quaeritur, quando vacet beneficium ipso iure, ex eo quod Beneficiarius fuerit secundum beneficium consecutus? Respondeo, ex cap. de Multa de praben. & extrava-ganti Execrabilis, de Praben. Ioannis 22. cap. cum nostris, de concess. Praben. c. cum in curia. §. de Elect. cap. licet Episcopus, de Prab. in sexto, ipso iure vacare beneficium, quod curam animarum, dignitatem, vel personatum habet, si Clericus secundum obtineat similiter curam animarum, dignitatem, vel personatum praeditum: non tamen si secundum beneficium simplex adipiscatur, quomodo ex numero sit eorum Beneficiorum, quae aliam Beneficiarii praesentiam requirunt. *Staphi. Tract. de Grat. expecta. de ver. mod. vacat. numer. 58.* Quaerit, quando nam primum beneficium vacet, statim ne, ut Clericus secundum est adeptus, an vero post possessionem secundi apprehensam? Respondeo, non vacare, donec Clericus secundi possessionem beneficii absque ulla lite, & controuersia fuerit nactus, hoc est, non vacare primum beneficium, si secundi possessio sit litigiosa, quia statim Beneficiario intenditur ius iure, vel factio de secundo beneficio. *c. licet Episcopus, de praben. in sexto, & c. Commissa, de elect. in 6. nisi per ipsum steterit, quo minus eam adipiscatur.*

Quaerit etiam aliquis, An vacet prius beneficium statim atque Clericus posterioris possessionem consecutus est, an vero necesse sit, ut etiam percipere queat beneficii fructus, aut saltem maiorem partem eorum? Respondeo, non vacare, si nequeat habere fructus ex secundo beneficio, utpote qui forte privilegio, statuto, vel consuetudine, vel superioris auctoritate, vel alia causa alteri debentur ad tempus, cap. si tibi concessio, de prabend. in sexto, ibi Glossa in verb. vacare. Ioan. Monach. Ioan. Andreas, Dom. Francus, & Panormit. in cap. de multa, de Praben. n. 16. vnde promotus ad Episcopatum, etiam post consecrationem, & possessionem detentum, retinet priora beneficia, si fructus dicti Episcopatus ex causa alteri ad tempus debentur, donec liberi fructus sint. *Glossa in cap. si tibi concessio praedicto.* Item si Papa contulerit Clerico secundum Beneficium his verbis (ut primum vacet possessione secundi apprehensa) non vacat primum, si fructus secundi alteri ad tempus debeantur. *Ioan. Monach. Dominicus, & Francus cap. si tibi concessio, citato: nam possessio sterilis esse non debet, sed fertilis.* Si Legatus itidem excommunicationis sententiam ferat in omnem Clericum habentem duo beneficia in eodem oppido, ea sententia non obstringit Clericum, qui secundi beneficii fructus percipere non potest, quia alteri debentur ad tempus. *Francus in cap. si tibi concessio, nuper allato.* Potest itidem Beneficiarius secundo beneficio donatus, retinere possessionem primi, ratione impensarum quas fecit ex suo patrimonio in primo beneficio, *ca. Quicumque, 12. q. 4. Panor. in conf. 10. vol. 2. & in cap. de multa de praben. n. 15. vnde teste eodem Panormitano ibidem: si Beneficiarius sine testamento decesserit, potest haeres repetere impensas, quas Clericus fecit ex suis bonis in beneficio. Insuper non vacat primum beneficium, si superior noluerit secundi beneficii ademptionem confirmare, & Clericum ad primam Ecclesiam reuocauerit. *Panormitan. in cap. de multa, num. 11. de praben.* si Clericus itidem subito iure calore secundum beneficium acceperit, si statim facti sui eum poenituerit, non propterea vacat primum beneficium: *idem Panor. in eod. cap. nu. 13. de prab. & cap. ex literis, de Divort.* Praeterea si primum beneficium cura animarum careat, non vacat per ademptionem secundi habentis cu-*

ram animarum. *Panormitan. in eodem capitulo, de multa, de praben.* Postremo, si quis dubitet, an vacet ipso iure primum beneficium, tamen si adeptio secundi sit irrita, & inanis? Respondeo, cum *Abbate cap. 1. de Cleric. coniug. n. 8. vacare: quia effectus, & animus in hac parte punitur factio quomodocumque coniunctus.*

Porro huiusmodi beneficii vacationis formula continetur in cap. licet Episcopus, de praben. in sexto, ubi sic habetur. *Licet Episcopus beneficium, quod cum animarum cura tenetur (postquam aliud acceperit consimile, ac ipse possessionem pacificam habuerit, vel per se steterit, quo minus haberes eundem) possit alteri de iure conferri: illum tamen cui contulerit, non debet, et non vocato, cum forsitan possit ius tibi competere retinendi in possessionem ipsius inducere corporalem: Sic ubi vnde quamvis ipso iure beneficium primum vacet, & possit alteri conferri: factio si ab alio possessio retineatur, nequit ab ea deici, nisi vocatus: quem admodum tamen quis rem vnam facto detineat, possum eo non vocato, de ea statueri, & ius quod in ea habeo, ad alium transferre. *Qui potest ff. de Reg. iuris, l. qui abernas ff. de contraben. emp. ca. Verberabilis, de prab.**

Aliter tamen est de possessione corporali, quae admi-cupiam non potest inuito, siue cognitione causa, *l. extat, ff. quod vi, metusue causa. l. si quis in: antum. C. unde vi, possessori exceptio, vel defensori deneganda non est, cum possit eam possessionem multis modis tueri, veluti si exceptio ius sibi competere per dispensationem superioris auctoritate factam, c. de multa, de praben. si item excipiat sibi in primo & secundo beneficio conuenire, quia ad tempus est sibi concessum, ut possit fructus primi beneficii retinere, c. non potest, de prab. vel quod habeat vnum beneficium nomine, & iure commendationis, alterum vero iure tituli, c. qui plures. 21. q. 1. vel quod primum beneficium retineat ratione impensarum, quas in eo fecerit, *ca. quicumque, 12. q. 4.**

Decimo quaeritur, An ipso iure vacet beneficium, ut primum Clericus in eadem Ecclesia secundum beneficium simile adipiscitur? Constant est omnino opinio, vacare. *c. litteras, de concess. praben. & Clem. ult. de prab. Abb. in c. litteras, de concess. prab. & Siabuleus in Tract. de Gratij. expectat. §. tertio forma, n. 7.* Hoc autem locum habet in Clerico, qui secundum beneficium simile sub eodem recto, hoc est, eandem Ecclesiam assequitur, quae locum, si illud, etiam simplex, nec Clerici praesentiam postulat, etiam modicum, quod ad vitam Clerici non sufficit. Communis sententia Doctorum in c. litteras, & c. vlt. in 6.

Vndecimo quaeritur, Quando ipso iure vacat beneficium ex eo, quod quis intra annum ad Sacerdotium non promotus? Respondeo, beneficium Parochiale ipso iure vacare, *cap. licet Canon. & ca. Commissa, de elect. in sexto.* Caeterum quamvis tantum de anno transierit, ut intra ipsum nequeat ad Sacerdotium promoveri; nihilominus non vacat nisi elapso integro anno, *cap. praedicto, commissa.* Porro annus incipit computari ab eo die; quo Clericus Parochialis beneficii possessionem, sine lite nactus est, nisi per eum steterit, quo minus adipiscatur, *c. Commissa, de elect. in 6. & Glossa in c. licet Canon, superius allegato.* Non tamen computatur annus, quomodocumque Clericus legitime impeditur, quominus Sacerdos creetur, *c. Commissa, utputa, si intra annum episcopum non inueni, a quo Ordines possit accipere: vel in morbo praedictus Episcopum adire non potuit, vel quia episcopus eum ad Sacerdotium promoveri recoluit. *Glossa in c. Commissa, de elect. in sexto, in verbo, (iusto impedimento) vel si post impetrationem beneficii factus est Clericus irregularis, sine ulla sua culpa, & inde ad Sacerdotium promoveri non potuit, ut quia oculum, vel manum amisit, tunc enim nec est compellendus fieri Sacerdos, nec priuandus beneficio. *Glossa in ca. licet Canon, in verbo, Priuatus: secus vero est, si culpa sua factus sit irregularis. *Glossa ibidem.****

Quaerit, An praedicta poena locum etiam habeat in Vicario perpetuo, qui est in Ecclesia Parochiali consti-



curus? Respondeo, habere: *Clemen. de officio Vicarii*: Habet item locum in priori conuentuali, seu claustrali. *Clem. Ni in agro. §. Caterum, de statu monacho*. siue ratione tituli, siue ratione commendationis Ecclesiam obtineat.

Quæres etiam, An habeat locum prædicta pœna in Præpositis, Decanis, vel aliis collegii Canonicoꝝ Præfectis, de quibus loquitur, *c. Cum in cunctis. §. inferiora, de elect.* Respondeo, minime, quia prædicta iura solum pœnam irrogant iis, qui Parochialem Ecclesiam consequuntur: Pœnæ autem in iure restringi, non laxari debent, *Glossa in cap. licet. Cano. prædicto in verbo. Parochialis*. Minus quoque locum habet in Episcopis, vel Abbatibus: nec in Archidiaconis, aut aliis dignitatibus curam animarum habentibus, cui scilicet curæ inest iurisdicção in foro exteriori, non autem in interiori foro pœnitentiæ. Nec in Ecclesiis item collegiatis, hoc est, etiam si Parochiales sint. *cap. statuum. de electio. in 6.*

Duodecimo quaeritur. Quando iam ipso iure beneficium vacet per translationem Clerici ad aliam Ecclesiam, vel electione contra Canones facta? Respondeo, eo ipso, quod Episcopus etiam auctoritate legitima ex vna Ecclesia ad alteram transfertur, priorem Ecclesiam vacare, cum primum secundæ possessionem nanciscitur. *Glossa & Doctor in cap. Si quis iam translatus 22. q. 2.* Quod si episcopus auctoritate sua ad secundam Ecclesiam, & sedem se transferat, utramque ipso iure amittit, *cap. Quanto, de Translat.* Item in promotio ad episcopatum, post electionem, confirmationem, & consecrationem, atque possessionem Ecclesie, vacant ipso iure omnia etiam simplicia beneficia, vt docet constans omnium sententia in *cap. Ordinationes, dist. 75. c. Quoniam, dist. 100.* Et satis aperte statutum est in *cap. Cum in cunctis. §. Cum vero, de elect.* Ita vt iure communi sint quatuor necessaria: Electio, Confirmatio, Consecratio, & Possessio. Item, si electus episcopus, vel alius prelatus intra tres menses cõfirmationem non petat, aut per ipsum fuerit, quo minus intra id tempus confirmetur, omne ius, quod acquisierat per electionem, amittit. *cap. Quam sit, de elect. in sexto.*

Præterea, si electus, & confirmatus intra tres menses non consecratur, aut per ipsum stat, quo minus consecratur, ius quod acquisierat, perdit. *cap. Cum in cunctis, §. Cum vero, de elect.* Item, si electus prelatus electioni oblatæ consentit intra mensem non præterit, vel intra tempus ad id sibi constitutum, ius amittit, *c. Quam sit, de elect. in 6. Glossa in Clem. 1. Prælit pendente, verbo, Collata*, testatur in curia Romana vsu esse receptum, vt cum primum episcopus electus in ipsa curia consecratur, etiam Ecclesie possessionem nondum adeptus, omnia beneficia, quæ habebat, vacent, & tanquam in curia vacantia conferantur, & Abbas in *cap. Cum in cunctis, §. Cum vero, de elect.* ait esse more in curia Romana receptum, vt in episcopo auctoritate Papæ promotio, statim beneficia vacent, nam etiam consecratione non expectata conferuntur à Papa. Idem referunt Decius *ibidem*, & Gigas *de pensionibus, quest. 56. §. 3.* Rebuffus in *concordat. tit. de mandat. Apostol. §. vit. quem more approbat*, si episcopus in sui promotione ad Ecclesiam consentiat, secus non item, additque Caldecius, *c. 1. de translat.* Episcopos semper expresse, vel tacite consentire. Hanc veto consuetudinem ipsa Glossa, Ioannes Andreas, Romanus, & Cardinalis, & Imola, aiunt esse contra ius in *cap. Cum in cunctis, §. Cum vero, de elect.* eamque reprehendunt Ioannes Andreas in *Clem. citata*, & Castaldorus *deciso. 2. de consuet. & Romanus consil. 145. n. 16.* Sed quid mirum est, si curiæ Romanæ consuetudo iuri communi detoget, cum sæpe Canones, leges, & iura consuetudine abrogentur.

Ex dictis colligitur, in iis episcopis, qui Titulares vulgo dicuntur, etiam consecratis, beneficia nõ vacare, quia possessionem Ecclesiarum, ad quas eliguntur, minime apprehendant, nec vllos ex ea fructus percipiunt, nam eliguntur ad Ecclesias, quas bello occupantur Turcæ, Sarceni, & alii Pagani. Sic censet Mandolius in *regula Can-*

*cellaria 26. q. 4.* vbi argumentis oppositis responderet. Sic Hojeda *de beneficiis incompatib. par. 1. cap. 4. num. 16.*

Quæres, An si episcopus statim post confirmationem consecratur, vacent beneficia etiam ante tres menses, qui iure conceduntur, aut intra eos consecrari queant? Innocentius, & Glossa *loco citato* aiunt, statim beneficia vacare, ita vt possint ordinarii auctoritate conferri. Hostiensis vero negat posse statim dari, nisi post tempus trium mensium elapsum. Ioannes Andreas, & Panormitanus distinguunt: aut episcopus statim, vt est consecratus, vel antea possessionem Ecclesie nanciscitur, aut secus: Si primum, beneficia vacant, vt possint ab ordinario statim conferri ante tres menses exactos. Si secundum, non vacant, & ordinarius expectare cogitur antequam conferat, vel cursum trium mensium elapsum, vel saltem donec consecratus episcopus possessionem Ecclesie consequatur. Sed quid si electus in Episcopum, vel Abbatem, vel aliam Ecclesie Præfecturam; antequam confirmetur, moriatur in curia Romana: tunc ne Ecclesia Cathedralis, vel Abbatia vacat in curia? Archidiaconus in *cap. Si electio, de elect. in sexto*, in vtramque partem Canones, & iura citat. Sed dicendum existimo cum Glossa in *Clem. 1. Prælit pendente, verbo, Collata*, non vacare in curia, etiam si in ea de electione, vel confirmatione ligaret, quoniam durat prima vacatio, donec confirmetur electus. Dubiæ tamen quaestio- nis est, An si episcopus confirmatus in curia, apprehendat possessionem Ecclesie Cathedralis per procuratorem, beneficia quæ habebat, vacent in curia, vel extra curiam? Archidiaconus in *cap. Commissa, de elect. in sexto*, censet ea beneficia in curia vacare. Sed probabilius est, quod ait Glossa in *Clementina, quam proximo citauimus*, vacare extra curiam: nam inde fieret, vt beneficium dimissum in curia per procuratorem, vacaret, vbi Dominus renuncians procuratorem constituit, & non in curia, vbi procurator renunciat. Generatim, ait Glossa, vbi procurator mandatum habens, possessionem apprehendit ibi, & ea die, vacat beneficium. Sed vbi amicus, vel negotiorum actor renunciat, non ibi vacat beneficium, sed in eo loco, in quo Beneficiarius renunciationem acceptam, & ratam habet. Sic Glossa eo loco quem supra retulimus.

Item si electi ad regimen, siue præfecturam Ecclesiarum ante confirmationem electionis factæ se ingerant in administrationem Ecclesiarum, vel eam sibi committi, tanquam procuratoribus, siue æconomis procurauerint per se, vel per alium, ex parte, vel ex toto, iure, si quod quaesitum in illis fuerit, eo ipso priuati sunt. *cap. Auaritia, de elect. in sexto.* Insuper, si electores electione facta, vel concordia, vel in discordia, intra octo dies postquam commode poterunt, non præsentent electionem electo, qui fuerit in culpa ex ipsis, omnibus beneficiis suis, quæ in Ecclesia, de cuius pastoris electione agitur, obtinent, per triennium continuo ex eo tempore inchoandum ipso iure suspensi sunt: ad quæ si intra illud tempus se propria temeritate, vel alio quaesito colore ingesserint, ipso iure sunt illis priuati. *cap. Cupientes, §. Caterum, de elect. in sexto.* Qui itidem opponit aliquid electioni iam factæ, vel appellat ab ea, proponens aliquid contra formam electionis, vel contra personam electam, si deficiat in probatione, à beneficiis, quæ habet in Ecclesia, de cuius electione agitur, est per triennium suspensus: & si intra illud triennium, propria auctoritate se immiscuerit in administratione illorum, ipso iure priuatus est illis. *cap. 1. §. vltim. de elect. in 6.*

Præterea, Si quis plures dignitates, aut beneficia curam animarum habentia possideat, districte compellitur per ordinarium loci, dispensationes, quarum auctoritate ea possidere se asserit, intra tempus pro facti qualitate ipsius ordinarii arbitrio constituendum, exhibere: quod si forte iusto impedimento cessante, nullam dispensationem intra illud tempus exhibuerit, tunc beneficia, sine vlla dispensatione possessa, tanquam ipso iure vacantia, per eos, quorum est ea beneficia conferre, idoneis Cle-



ricis conferri queunt. *c. Ordinarium locorum, de officio ordinis in sexto.*

Item, si Beneficiarius miles factus, ad bellum profectus, in eo dimicet, hoc ipso beneficio pro derelicto habere intelligitur, & ordinarius potest illud alteri conferre. *Glossa communi consensu recepta in cap. qualiter, de Cleric. non residens.*

Decimotertio quaeritur, Quo pacto vacet beneficium per depositionem Clerici? Sciendum est, Canones, & iura depositionem Clerici vocare, cum beneficiarius ob crimen aliquod à beneficio deicitur, hoc est, cum Clerico beneficium admittitur. In iure autem extant Canones quidam, quibus decernitur, ut Clericus ob certa quaedam delicta ipso facto à beneficio deicitur, & amotus sit. Alii vero Canones constituunt, ut Clericus ob aliquod crimen per iudicis sententiam beneficio spoliatur.

### C A P. XVII.

#### De criminibus, ob quae Clericus beneficio, ipso iure sine ulla sententia iudicis priuatur.

PRIMO quaeritur, Quae & quot sint crimina, ob quae Clerici suis beneficiis sint ipso iure priuati? Respondeo, multa esse. Primum est crimen Haereticus, *cap. Cum secundum leges, de haeret. in sexto, & cap. Ad abolendam, de haeret. Glossa ibidem. Panorm. Innoc. cap. inter dilectos, de excess. pralat. Felin. cap. 2. de rescript. Ancha. cons. 288.* Eandem poenam incurrit Christianae fidei defertor, quem iura Apostatam nominant. Item Schismaticus *Rebus. in tit. de regia ad Pralaturas nomin. §. monasteriis, in verbo. vacantibus, in 31. modo vocando in Concor. eadem poena afficiuntur credentes, receptatores, defensores, & fautores haereticorum: quia eisdem poenis puniuntur, quibus haeretici. cap. excommunicamus, de haeret. c. ut commissi. eo tit. in 6.* Quartus, An haereticus per solam haereticam mente conceptam hac poena afficiatur? Respondeo, minime, quia Ecclesia occulta mentis peccata non punit. Sed nunquid, si est haereticus exterior, sed occulta, hac poena suum afficit auctorem? Negant quidam hanc poenam contrahi, nisi per haereticam manifestam, vel sententiam iudicis, vel euidentiam facti, vel propriam confessionem rei in iudicio. *Glossa in cap. Ad abolendam, citato, ait, manifestum haereticum dici, qui se talem esse profiteretur, & asserit, vel qui pro tali damnatus est: vel qui praedicat dogma haereticum, aut asserit, vel defendit. Et in cap. dicto. Ad abolendam sic est: Quicumque fuerit manifestus in haeresi deprehensus. Verum sunt alii, qui contra sentiunt: quoniam in c. Cum secundum leges citato, bona haereticorum sunt ipso iure sicco addita, & haeretici Dominio suorum bonorum priuati: ergo & beneficiis.*

Secundum crimen, est laesae maiestatis crimina. *Doctores in cap. Cum secundum leges, in sexto.*

Tertium. Si quis Cardinalem S. R. E. hostiliter fuerit persecutus, vel percussit, vel ceperit, aut se socium adiunxerit his qui tale quid fecerint, vel consilium, vel auxilium, vel mandatum dederit, aut suo nomine factum ratum habuerit, aut suo nomine id facientes, postea receperit, vel defenderit, *c. Felicitas, de poenis, in 6.*

Quartum est crimen, cum quis Episcopum per iniuriam, vel temere percussit, aut ceperit, aut bannierit, hoc est, proscripserit, siue publice extra urbem eiecerit, vel de his mandatum dederit, vel consilium, vel auxilium, vel haec facientium socius fuerit, aut facta rata habuerit, aut facientes receperit scienter, vel defenderit. *Clement. 1. de Poen.*

Quintum crimen: Qui per se, vel per alium in literis Apostolicis falsum fecerit, aliquid in eis deluerit, vel interleuauerit, vel in hoc consilium, auxilium, vel mandatum dederit, *cap. Ad falsarium, de crimine falsi: quod caput intelligunt communiter interpretes de priuatione ipso iure, quamuis textus non expresserit, sed declarat priuan-*

dom. Sic interpretatur Petrus Rebuffus de Pacifico *proff. num. 265. & in practi. par. 8. tit. de modis amitt. benef. n. 43.*

Sextum in Clem. Mulorum, de Pœnis statuitur. *It qui coegerit Clericum, suum beneficium resignare, hoc est, deponere atque dimittere, aut ne citatus ad Apostolicam sedem, ab homine, vel à iure venire ad ipsam valeat, capiendum eum, & prendendo, si sit inferior qui id fecerit, vel faciendum curauerit, sit beneficius obtentis priuatus, si vero fuerit Pralatus, aut alius superior, sit à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum adriuenium suspensus, praeter sententiam Canonis, quam facientes, & fieri procurantes praemissa incurere dignoscuntur. Sic ibi.*

Septimum crimen continetur in Constitutione Pauli II. quae incipit: *Ambitiosa, & inter communes refertur Extrauagantes, de rebus Ecclesiae alienan. vel non alien. vbi dicitur: Pralati inferiores Episcopo, & Abbates, Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, si alienauerint bona Ecclesiarum, hoc est, dominium, vel ius aliquod bonorum Ecclesiae transfulerint in alium, vel per venditionem, donationem, emphyteusim, hypothecam, pignus, locationem ultra triennium, praeterquam in casibus à iure permissis, vel de rebus in emphyteusim ab antiquo tempore dari solitis, & tunc in euidentem Ecclesiam utilitatem, aut de fructibus, & bonis, quae seruando seruari non possunt, & praeterquam si alienatio fiat ex licentia Romani Pontificis, ipso facto priuati sint quibuscumque beneficiis secularibus, vel regularibus, vel sine cura, quorum res & bona alienauerint, & absque ulla alia declaratione illa beneficia vacare consentant. Haec ibi.*

Caictanus in summa in verbo, excommunicatio, cap. 75. & Armilla eodem verbo in ordine excommunicationum, excommunicat. 62. aiunt, hanc excommunicationem non esse receptam vbiq; & alicubi non ex toto, sed ex parte tantum. Syluest. Excommunicatio 7. in excommunicat. 47. num. 83. dicit alicubi non esse approbatam. Rochus Curtius c. ult. de consuetud. ait esse consuetudine abrogatam.

Ego in aliis locis admonui, triennium non computandum annorum ratione, sed fructuum: hoc est, bona Ecclesiae non esse locanda ad tempus, in quo percipiuntur plures fructus, quam triplices. Quare si res Ecclesiae non nisi alternis annis fructus reddit, potest ad sexennium locari: si tertio quoque anno fructus fert, potest ad nouem annos locari: Si autem singulari quibusque annis fructus reddat, non nisi ad triennium locari iure potest.

Octauum est crimen in cap. 1. de homicidio in sexto. Affasus, hoc est, Conductus pretio ad aliquem Christianum occidendum, & similiter, qui de eo mandatum dederit, licet mors secuta non sit: & qui Affasum receperit, vel defenderit, vel occultauerit: sit eo ipso beneficiis priuatus, ita ut libere possint ea beneficia conferri ab eo, ad quem ex iure pertinet eorum collatio. *Haestemus Constitutio.*

Nonum Crimen in Constitutione, quae incipit: *Cum de restabile, de Simonia inter extrauagantes communes*, ita decernitur: *Per electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quascumque alias dispositiones, quas Simoniacae lae contigerit fieri, & quae viribus omnino careant, in Ecclesia, Monasteriis, dignitatibus, personarum, officii Ecclesiasticis, & quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum qua perceptis restitutionem, sub anima sua periculo sit restrictus.*

Olim crimen Simoniacum in ordine, vel beneficio commissum, non ipso iure, sed per sententiam priuationem inducebat. *capit. Presbyter. 1. quaest. 1. ibi: (Ecclesia priuatur) cap. 2. de concess. praeben. Sed nunc committens Simoniam, priuatus est ipso iure beneficio simoniace adeptor: ita ut adeptio non valeat, & beneficium, vel vacans impetrari possit, per supradictam Extrauagantem, Cum destabula.*

Item, olim Simoniacum manifestum, non occultum, beneficium adimebatur. *cap. Insuperatum, de Simonia. Hodie vero Simoniacus, siue manifestus, siue occultus, priuatus est ipso iure beneficiis simoniace acquisitis, per iam dictam Extrauagantem, Cum destabula.*